



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

Conciliabula inter ciues fieri aut utilis, aut iucundi gratia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

ra, rationeque ab ipsa proposita nobis sit) & illam dictis suis foedet, et se dum iucundum exhibere debet ac gratum, ridiculum potius apud audientes efficiat, ac contemptibilem, cogitque auditorem civilibus praeditum moribus, atque ingenuum ad demittendum os, atque oculos in humum, ad auresque auertendas ob dictorum obscenitatem, dicentisque ipsius aut conuiciationem, aut impudentiam, garrulitatemque. Vtrinque enim ita peccatur, ut alter mediocritatem defugiat, alter illam praegrediat, cum indecentia, atque astantium irrisione. Et hunc qui de moribus scripsere, Scurram uocant, qui Graece est βωμολόχος, habitumque Scurritatem, illum uero alterum Rusticum, nam Graece est ἀρσιος, defectumque ipsum Rusticitatem. De quibus, deque habitu medio antequam dicimus, non temere pauca quaedam praefabimur, quae cogniti digna quidem sunt, atque in ipso explicandi ingressu iure suo edisserenda.

Conciliabula inter cives fieri aut utilis, aut iucundi gratia.

Quod homines igitur natura sunt ipsa sociabiles, atque in unum conueniunt, tuendae rei tum publicae, tum privatae gratia, hinc quoque tamen si de utilitate minime agitur, congregantur tamen una nunc pauca admodum, nunc complures, tum ut naturae ipsi morem gerant, ac rerum necessitati, tum ut susceptorum delinitionem laborum inueniant, ac molestiarum. Itaque conciliabula ipsa, conuentusque aliis utilitatis, aliis relaxationis tantum sunt gratia, quibus in ipsis ridiculari autque queritur, sedationesque animorum, ac uitae difficilius recreatio, quam ei defatigationum ipsarum siue intermissio, siue soporatio quasi quaedam. His itaque siue conuentibus, ac conciliabulis, ciuiumque siue paucorum, siue multorum communioni et coetui, siue etiam conuictui, atque confessioni, propter refocillationem, iocata praeposita sunt, uerborumque relaxamenta, & privata quaedam (ut ita dixerim) spectacula, dictoriaque theatra lia. Oem autem et colloquendi, et congregandi, et dicendi siue affabilitatem, festiuitatemque, atque urbanitatem, siue comitatem, leporem, iucunditatemque quae in ipsis exerceatur, deque ipsis idem manet profuaturque ex dicendo ad iocata prorsus dictaque iocularia, atque ad facetias identidem referenda dicimus.

Triplex esse iocandi genus.

Iocandi autem in eiusmodi tum conuiciationibus, tum coronis, triplex genus statuimus, & quod seruire, maximeque degenerans est, quales ser